

vehatur. Idecirco statis temporibus simul convenient, ut de iis omnibus statuantur, quæ ad hunc finem procurandum magis conferre videantur.

VII. — Sedes princeps seu Centrum Societatis constitutum est Tolosæ. Moderator vero Generalis est ipse Præpositus Generalis pro tempore Societatis JESU, qui munus suum delegare potest alii a se deligendo, qui Tolosæ resideat.

VIII. — Præter moderatorem Generalem, erunt quoque Moderatores Diocesani et Directores singularum Societatum. Moderatores Diocesani, qui designandi sunt ab Ordinariis locorum, intra fines Dioceseos, constituentur vel a Præposito Generali pro tempore Societatis JESU vel a Moderatore Generali, quem ipse Præpositus, delegaverit Tolosæ. Directores autem singularum Societatum constituentur, approbante Ordinario, a Moderatore Diocesano. Tum Moderatores Diocesani, tum Directores singularum Societatum Ordinario subjicientur etiam in iis omnibus quæ ad prædicta opera pertinent: iis exceptis quæ spectant ad Statuta ab Apostolica Sede approbata.

IX. — Ad socios adlegendos satis est, Directores singularum Societatum inscribere eorum nomina in libro indice ecclesiarum vel locorum piorum, ubi Apostolatus institutus est, et tesseras distribuere; quin necesse sit Catalogum Centro principi transmittere.

X. — Indulgientiae ceteræque gratiæ prædictis Apostolatus Operibus a Summis Pontificibus hucusque concessæ, vel extente, in suo robore maneant.

Sacra Congregatio Eminent. et Reverend. S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium præposita, Statuta, de quibus supra, benigne approbavit et confirmavit.

Datum Romæ, ex Secretaria ejusdem S. Congregationis, die 11 Julii 1896.

J. Card. VERGA, *Præf.*

L. † S.

*Visum et recognitum:* A. TROMBETTA, *Pro Secr.*

† FRANCISCUS-DESIDERATUS, *Arch. Tolos.*